



**EPISCOPATVS
QVONDAM CVRONIENSIS
SECVLARISATVS,**

SIVE

**SVMMARIA DEDVCTIO,
EPISCOPATVM CVRONIENSEM,
QVI NVNC DISTRICTVS PILTENSIS
DICITVR,**

**VT SECVLAREM REGNO POLONIAE ET MAGNO
DVCATVI LITHVANIAE**


INCORPORATVM,

IN EODEMQVE STATV HACTENVS CONSERVATVM,

ET

IN POSTERVM CONSERVANDVM ESSE.





Archi-Episcopum Rigensem cum suis Episcopis, Dorpatensi, Osiliensi, Curoniensi & Reualiensi, Magistrumque Teutonici Ordinis Liuoniae quondam Membra & Status Romani Imperii fuisse, non solum ex diuersis Imperii Recessibus constat, sed etiam propter manifestam notorietatem à nemine in dubium vocari potest.

Liuoniam etiam iam illo tempore, cum sub Imperio Romano adhuc esset, Augustanam Confessionem recepisse, sicque pristinum suum Statum immutasse, & annales temporum euincunt, & Piafecijs, Episcopus olim Praemisliensis in Chronicis suis gestorum in Europa singularium testatur, vbi pag. 51. ait: *Religionem Catholicam totam tunc à Liuonia exsulasse, vt ne quidem vestigia illius apparerent.*

Nam vti post Recessum Imperii de Anno 1555, vigore cuius Confessio Augustana cuiuslibet permittebatur, & iurisdictio Catholicorum in eius Confessionis socios suspendebatur, multi alii Episcopatus, Abbatiae & Praelaturae, sic quoque Archi-Episcopatus & Episcopatus Liuoniae vna cum Magistro Teutonici Ordinis ibidem bona sua Ecclesiastica in Statum secularem reformabant. Quo iure id factum sit? nihil iam attinet discutere, postquam praefata Secularisatio bonorum spiritualium ab anno 1552, usque ad millesimum, sexcentimum, vigesimum quartum facta per Instrumentum pacis tam Osnabrugensis quam Monasteriensis in suo vigore relicta est, non attentis cuiusuis Ecclesiastici vel Politici, intra vel extra Imperium Protestationibus.

Totum autem Ordinem, Russorum armis attritum, & ab Imperio quasi pro derelicto habitum, mutato Statu & Religione vicinorum Regum Protectioni se submisisse, ex Pactis subiectionis Liuoniae inter alia dilucidissime liquet.

In iisdem enim Pactis Serenissimus olim Rex Poloniae, Sigismundus Augustus, Diuae Memoriae, bona fide cauit & in se recepit, se non tantum totis viribus eo incubiturum, ne deditio & subiectio illa Sibi & Reipublicae facta apud Caesaream Maiestatem aliosque Imperii Romani Ordines Statibus Liuoniae damno & fraudi sit; sed & fidem sancte dedit ac promisit, se omnibus ac singulis cuiuscunque Ordinis vel Status fuerint, liberum usum Religionis Cultusque Diuini & receptorum rituum, secundum Augustanam Confessionem in suis Ecclesijs, totiusque Rei Ecclesiasticae integram administrationem, sicut eam habuerunt, libere permissurum, nec in ea vllam mutationem facturum, neque vt ab alijs fiat, concessurum: In Pactis Prouisionis Ducalis §. *Cum autem in conditionibus* &c. Quemadmodum igitur Magister Liuoniae cum toto Archi-Episcopatu Rigensi Serenissimo Regi Sigismundo Augusto & Reipublicae Poloniae certis pactis conditionibus, reseruato sibi in Feudum Ducatu Curlandiae & Semigalliae: ita Episcopus Curoniensis & Osiliensis cum Nobilitate sua Serenissimo Regi Daniae se submittebat, reseruando sibi certam summam pecuniariam pro alimentatione sua, & in solatium effusi pro Episcopatibus suis proprii Patrimonii. Reliqua Liuoniae pars Serenissimum Regem & Regnum Sueciae elegit, & hac ratione singuli Reges derelictam dilaceratamque Liuoniam in tutelam suam receperunt, & subiectionis titulo sui Iuris fecerunt. Fridericus II. Daniae Rex Episcopatus quondam Curoniensem & Osiliensem praefato modo obtentos Fratri suo Germano, Illustrissimo olim Holsatiae Duci, Magno, loco Patrimonii eius cessit & occupandos dedit.

Ab eo tempore Dux Magnus Districtum Piltensem vsque ad annum 1583, quo vitam cum morte commutauit, titulo ac iure Dominatus secularis tenuit & possedit, vti ex Connubio Eius, Forma Regiminis Consiliariis suis praescripta, & Diplomatum ex Illius Cancellaria emanatis, potissimum vero ex Transactione Dano-Polonica, in qua Dominus Curoniensis Episcopus nominatur, euidentissime apparet.

Post fata Ducis Magni, inter Serenissimos olim Stephanum Poloniae & Fridericum II. Daniae Reges de isto quondam Episcopatu magna contentio, quae fere in apertas belli flammis exarsisset, suborta est; Illo nimirum subiectionem totius Liouoniae praetendente, Hoc autem subiectionem specialem & legitimam successionem post Fratrem suum Germanum, Ducem Magnum, urgente: quae tamen controuersia tandem, Mediatore Illustrissimo Georgio Friderico, Marchione Brandenburgico anno 1585. per solennem & publicam Transactionem placide sopita fuit.

Hac Transactione inter alia tam Nobilibus quam Oppidanis quietum exercitium Augustanae Confessionis, praeter quam nulla alia (*sunt verba Transactionis*) compluribus ab inde annis in Ecclesiis illius Episcopatus obseruata atque culta fuit, relictum, & ne vlla alia Religio illis obtrudi, sed vt pari, cum Curlandiae Ducatus subditis, libertate conscientiae gaudere debeant, constitutum est. Quam confirmationem Priuilegiorum & Religionis etiam Eminentissimus & Reuerendissimus olim Cardinalis Radziuil cum aliis Episcopis & Senatoribus Romanae Ecclesiae addictis in Comitibus Regni Generalibus absque vlla reservatione Iuris Romanae Ecclesiae subscripserunt & approbarunt.

Praeterea inter vtrosque Reges & inclyta Regna solenniter inita atque à subsequens Serenissimis Regibus confirmata iurataque Transactio, non minus etiam diuersae Inuestiturae bonorum olim Episcopatum per Serenissimos Poloniae Reges Nobilibus nonnullis gratiosissime in feudum collatorum, ac Statutariae Leges per Constitutionem publicam anno 1611 confirmatae, luculentissime euincunt, quod hic olim Episcopatus, vt in secularem statum reformatus inclyto Poloniae Regno accesserit, & in eo statu hucusque conseruatus fuerit.

Denique notandum, in Ordinatione quadam per Commissarios Sacrae Regiae Maiestatis & Reipublicae Comituali auctoritate anno 1617 in hunc Districtum missos, in uim perpetuae Legis promulgata cautum esse. 1) Vt in posterum non nisi Nobilis Indigena in hoc Districtu bene possessionatus Arci Piltenfi praefici debeat, quo ipso Episcopus Liouoniae excluditur. 2) Vt Catholicis Indigenis liberum etiam sit Religionis suae exercitium, & vt potestatem habeant fundandi & reparandi in fundis suis Sacella & templa, non autem, vt vetera occupent & reforment, cuius Commissionis Caput Episcopus olim Culmensis & Pomezaniae fuit.

In quo seculari Statu, iurisque patronatus exercitio non interrupto, sub felici Regimine Serenissimorum Poloniae Regum ultra centum & quinquaginta nouem annos Nobilitas Piltenfis clementissime conseruata est, vt taceam anteriora tempora, quibus Augustana Confessio in hac olim Dioecesi & templis eius obseruata fuit.

Quibus non obstat Protestatio per Reuerendissimum olim Episcopum Vendensem, Ottonem Schenking anno 1644 interposita: cum ille Episcopus nullum vnquam ius, vel competentiam ad hunc olim Episcopatum habuerit, obstantibus nimirum Pactis publicis, quorum vigore Districtus hic vt secularis Regno Poloniae accessit.

Neque Serenissimi Poloniae Reges hucusque eiusmodi Protestationes per Ordines Imperii & per Generalem Teutonici Ordinis Magistrum interpositas

positas quicquam attenderunt, vel Protestationem interponentibus propterea vllum ius in terras Borussiae & Liuoniae concesserunt, prout in Comitibus Spirensibus, anno 1570 factum esse refert Teutonici Ordinis Consiliarius, D. Ioannes Casparus Venator in sua historica relatione, de Ordine Teutonico Mariano pag. 418. & Andreas Maximilianus Fredro Lib. I. gestorum populi Poloni, tempore Henrici Valesii p. m. 85. responsum Reipublicae Legatis Romani Imperatoris datum allegat ibi: *Quantum verò de Prussia & Liuonia: non se opus habere Imperatore Romanorum Patrono. In eo, quod ius suum teneret, arma tuerentur.*

His accedit, quod non tantum Serenissimi Poloniae Reges vigore Pactorum Conuentorum pacem inter dissidentes tueri teneantur, sed etiam in Pactis Oliuensibus Incolae Districtus Piltensis sub generali amnestia circa omnia Priuilegia & consuetudines, tam in Ecclesiasticis, quàm Politicis, quibus ante hoc bellum gauisi fuerant, conseruati sint.

Quid? quod Episcopatus quondam Curoniensis, pariter sicut reliqui exstinctus, & Districtus Piltensis eo ipso ab omnium Illustrissimorum ac Reuerendissimorum Dominorum Episcoporum praetensionibus plane liberatus sit, Decreta Serenissimi olim Sigismundi III. Diuae Memoriae anno 1619 inter Illustrissimum ac Reuerendissimum quondam Episcopum Vendensem, Dominum Ottonem Schenking, & Generosissimum olim Wernerum Behr ex feriis partium controuersis lata, abunde probant, dum in iis expressis verbis continetur: quod Episcopatus Vendenfis in locum priorum omnium Episcopatum in Liuonia & Curonia existentium solus, per Serenissimum olim Stephanum Regem Poloniae constitutus sit.

Ex quibus luce meridiano clarius patet, Episcopatum olim Piltensem longe ante Cessionem Danicam secularisatum, vltra centum quinquaginta nouem annos sub Serenissimis Poloniae Regibus in tali statu clementissime conseruatum, & in posterum etiam conseruandum esse, nec absque laesione Iuris Gentium, fidei publicae & Pactorum iuratorum, nec absque praeiudicio Regum & Principum Europae, qui eiusmodi Episcopatus & bona olim Ecclesiastica in secularem statum reformata hucusque tenent & possident, in pristinum Statum reduci posse.

Sacra Regia Maiestas & inclyta Respublica sunt in onere euictionis, quippe qui in saepius laudata publica Transactione, vniuersis & singulis Nobilibus & Oppidanis Districtus Piltensis illorum Iura, Libertates & Priuilegia obtenta atque usurpata, non tantum confirmanda, sed etiam ab omnibus Sacrae Regiae Maiestatis Successoribus & Ordinibus Regni in perpetuum conseruanda esse promiserunt.

Qua propter etiam Serenissimus olim Rex Ioannes III, quem haec omnia latere non potuerunt, anno 1688, causa hac coram iudicio Relationum Sacrae Regiae Maiestatis propriarum proposita, non autem ad finem perducta, pro expeditione eius nullum alium terminum intimari fecit, sed Nobilitatem in quietam possessionem relinquendo, satis superque indicauit, se Illustrissimo ac Reuerendissimo olim Episcopo, Domino Nicolao Poplawski, tum temporis Actori nullum ius in Districtum Piltensem concedere voluisse.

